



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Floremundi Raemundi V. Cl. Olim Consiliarii Regis  
Galliarvm Ex Calviniano Catholici Synopsis Omnium hujus  
temporis Controversiarum tam inter Lutheranos,  
Calvinistas quam alios plurimos. Sive Historia ...**

**Raemond, Florimond de**

**Coloniae Agrippinae, 1655**

VI. Beza Psalmos suos pro lubitu fecit ac refecit: & quomodo uterque  
errores suos emendarit.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10880**

cāstā turpiter profanarūt, ex ecclesijs in priuato-  
rum aedes, ex aedibus in fabricarum officinas, pistri-  
nūm arque ergastilum traductos. Neque enim par  
est, vt mago illius Prophetæ ac regis, quem SS.  
Trinitatis præconem ex antiquis Patribus quidam  
appellant, enthusiastam, vt ita dicam, & cœlestes  
contemplationes, in profanis passim locis adeoq;  
ipsis lauacris prostituantur. Quis enim non in-  
dignetur, à veteramento calceos sumente diuinū  
illud *Miserere*, &c. aut à fabro ferrum versante il-  
lud, *De profundis*, &c. sine vlla animi attentione aut  
deuotione mugiri magis quam cantari audiens?  
Quid quod nonnulli ipsidem turpissime ad amores,  
vel iocos ac ludibria abusi sunt, & adhuc abutuntur?  
vt vidua illa, quæ Principi alicui placere cupiens,  
& quasi complexus suos offerens, Psalmum cxxi.  
*Domino non est exaltatum cor meum*, &c. cantillabat.  
Audi hac de re non quidem Theologi, doctissimi  
tamen hominis iudicium. Nō sine ratione est, inquit,  
quod Catholica Ecclesia promiscuum temerarium & in-  
discretum sanctorum illorum & diuinorum Cantorum  
ab ipso S. Spiritu Dauidi dictatorum usum prohibuit.  
Neque enim Deus miscendus est nostris actionibus, nisi cū  
plena honoris & respectus attentione ac reuerentia. Vox  
hac nimis diuina est quam vt aures nostras solum demul-  
ceat. Ex corde, non ex lingua producenda est: nec per-  
mittere oportet vt puer in officina hoc veluti ludo in me-  
dio fruolarum & vanissimarum cogitationum sese oble-  
ctet. Quanto minus, o Montane, Psittaci cantus tales  
docendi sunt, qui in Gallia Psalmum aliquem Maroti-  
cum (a) medicantes sepe auditi sunt. Lepida cum pri-  
mis est historia quæ de Carnutum Vicedomino,  
Caluiniā factionis homine, circumfertur. Is  
quum Neraci, quo cum Nauarræ Rege venerat,  
forte cum Ministro quodam de Psalmorum cantu  
disceptaret, sibi que cum velut primitiua Ecclesiæ  
incognitum, non magnopere placere ostenderet,  
quum alteraatiua Clericorum responsiones de-  
monstraret, populū silentium potius quam lin-  
guam & vocem cantui accommodasse, Minister e-  
contra hanc Dei laudandi ac precandi formam, &  
receptam in sua Ecclesia consuetudinem laudaret  
ille, *Profecto*, inquit, *si vera sunt quæ dicis, Domine*  
*Minister, lepide facturus sim, si ego Vestra ad aieſtati sup-*  
*plicaturus vt aliquot scutatorum millibus inopiam me-*  
*am subleuet, ad genua vestra accidam, & preces meas*  
*santillans offeram; simul Psalmum accommodatis ad*  
*rem præsentem verbis auspiciatus, omnibus circumstan-*  
*tibus ridendi materiam præbuit, excepto Ministro, qui i-*  
*ratius inde se proripuit. Non pauci certe Caluinum*

hoc nomine nec iniuria reprehendunt, quod in  
nouella sua Ecclesia cantus eiusmodi cantari, &  
tamquam Dei Verbum adorari permiserit. Ista e-  
nim Psalmorum versio non minus apud Caluini-  
stas habet auctoritatis quam apud nos vulgaris i-  
sta Bibliorum: quum tamen ipsi Septuaginta In-  
terpretes in sua versione à Spiritu S. ducti, sepe  
magis verum quam interpretatum munere functi  
videantur; vt & ipse Dauid per præsentia sepe fu-  
tura demonstrat.

DE ERRORIBVS ET FALSITA-  
tibus à Maroto in Gallica Psalmorum  
versione commissis.

CAPVT XV.

Lectori S.

**S**iquidem ea quæ toto hoc capite, ab Auctore  
disputantur, mere ad Gallicam, & quidem  
rhythmicam illam Maroti & Beza ver-  
sionem spectent, atq; extra eam linguam nullum usum  
suis in hoc libro constet caput numerus, titulū ni-  
hilominus hoc loco ponere visum est. Interim eius lin-  
gua periti (his enim solis caput hoc scriptū est) si quid  
in vtriusque, Maroti, inquam, & Beza versione Au-  
ctor desideret, scire cupiat, ex ipso fonte facile petent:  
Ad parem diligentiam conferendi vulgatos psalmos  
cum sacro textu inuitantur in suis linguis alia natio-  
nes, vt habeant parata verba ad exprobrationes Aca-  
tholicorum.

DE CLEMENTE MAROTO, QUI  
primus Psalmos Gallicis rhythmis il-  
ligauit, de que eius vita &  
morte.

CAPVT XVI.

ARGVMENTVM.

- I. Primi Lutherano-Caluinistæ in Gallia Psalmos non  
decantant.  
II. Cle-  
a à Maroto paraphraste rhythmico psalmorum  
segg. capp. explicando.